



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Directorivm. Servandi Pvblicas, Sacrasqve Processiones,  
Sev Svpplicationes, Tam Ordinarias, quae fiunt certis  
diebus per annum; quàm extraordinarias, quae varijs ac  
publicis Ecclesiae de causis in ...**

**Coloniae Agrippinae, 1640**

Ordo sepulturae paruulorum breuior, & minus solemnus

**urn:nbn:de:hbz:466:1-9480**



*Antiph. repetitur.*

Benedicite Dominum omnes electi eius, agite dies lætitiæ, & confitemini illi.

Deinde ante Altare dicit  
Sacerdos.

Verf. *Dominus vobiscum.*

Resp. *Et cum Spiritu tuo.*

O R E M V S.

**D**EVS qui miro ordine Angelorum ministeria, hominumq; dispensas; concede propitius, vt à quibus tibi ministrantibus in cœlo semper assistitur, ab his in terra vita nostra muniantur. Per Christum Dominum nostrum.  
Resp. Amen.

## ORDO SEPULTURÆ paruulorum,

*Breuior, & minus solemnis.*

**I**N domo paruuli mortui, aut ad portas Cœmiterij vbi funus positum est, dicat Sacerdos, super pelliceo & stola alba indutus, quæ sequuntur.

H 2

*Antiph.*



*Antiphona.*

Sit nomen Domini, &c.

*Psalm. 112.*

**L**audate pueri Dominum: laudate  
nomen Domini.

Sit nomen Domini benedictum: ex  
hoc nunc & vsque in sæculum.

A solis ortu vsque ad occasum: lau-  
dabile nomen Domini.

Excelsus super omnes gentes Do-  
minus: & super cœlos gloria eius.

Quis sicut Dominus Deus noster,  
qui in altis habitat: & humilia respicit  
in cœlo & in terra?

Suscitans à terra inopem: & de ster-  
core erigens pauperem.

Vt collocet eum cum principibus:  
cum principibus populi sui.

Qui habitare facit sterilem in do-  
mo: matrem filiorum lætantem.

Gloria Patri.

*Repetitur Antiphona.*

Sit nomen Domini benedictum: ex  
hoc nunc & vsque in sæculum.

Kyrie eleison. Christe eleison. Kyrie  
eleyson. *Pater noster.*

*Vers.*



*Verf. Et ne nos inducas in tentationem.*

*Resp. Sed libera nos à malo.*

*Verf. Me autem propter innocentiam suscepisti.*

*Resp. Et confirmasti me in conspectu tuo in æternum.*

*Verf. Domine exaudi orationem meam.*

*Resp. Et clamor meus ad te veniat.*

*Verf. Dominus vobiscum.*

*Resp. Et cum spiritu tuo.*

## O R E M V S.

**O**Mnipotens sempiterne DEVS, sanctæ puritatis amator, qui animam huius paruuli ad cœlorum regnum hodie misericorditer vocare dignatus es: digneris etiam nobiscum misericorditer agere, vt meritis tuæ Sanctissimæ passionis in eodem regno nos cum omnibus sanctis & dilectis tuis semper facias gaudere. Qui viuis & regnas &c.

*Verf. Benedicamus Domino.*

*Resp. Deo gratias.*

*Postea fiat thurificatio eodem modo, quæ supra super adultos, proyiciendo etiam ter-*



*ram super funas paruuli in sepulchro positum, dicat Sacerdos tribus vicibus.*

Sume terra quod tuum est, sumat Christus quod suum est, caro de terra creata est, Spiritus de sursum inspiratus est.

*Deinde ubi consuetudo loci habet, occasione huius infantis, oretur pro fidelibus defunctis, horteturq; Sacerdos circumstantes dicendo.*

Oremus dilectissimi pro huius paruuli propinquis, & omnibus fidelibus defunctis, in spe misericordiae requiescentibus.

Deinde legat Psalmos: *Miserere: & De profundis* concludendo. *Requiem aeternam dona &c. Kyrie eleyson. Christe eleison. Pater noster.*

Verf. *Et ne nos inducas in tentationem.*

Resp. *Sed libera nos à malo.*

Verf. *A porta inferi.*

Resp. *Erue Domine animas eorum.*

Verf. *Domine exaudi orationem meam.*

Resp. *Et clamor meus ad te veniat.*

Verf. *Dominus vobiscum.*

Resp. *Et cum spiritu tuo.*

ORE-



## O R E M V S.

**D**EVS cuius miseratione animæ fidelium requiescunt, famulis & famulabus tuis omnibus, hic & vbique in Christo quiescentibus, da propitius veniam peccatorum, vt à cunctis reatibus absoluti, tecum sine fine lætentur. Per eundem Christum &c.

*Verf. Requiescant in pace. Resp. Amen.*

## DE SEPULTURA

paruulorum non baptizatorum.

**P**Veruli, vel sanctorum hominum filij, & quicumque alij ex hac vita sine baptismo migrantes, in loco sacro sepeliri non debent. Estq; in ijs obseruandus Canon. 35. Concilij I. Braccarenensis: *Catechumenis sine redemptione Baptismi defunctis, non oblationis sanctæ commemoratio, nec psaltendi impendatur officium. Nec tamen sunt eorum corpora insepulta proyicienda more belluarum, propter humana naturæ dignitatem, sed in loco honesto recondenda; quod fiat sine vllis precibus, ac solemnitate à laico, nec quisquam ex clero, etiam vocatus, prophana sepultura intersit.*